
QVÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS VI. MAII. MAGISTRO GABRIELE HARDVYNO DE SAINCT IACQVES DOCTORE MEDICO, DECANO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An aquæ Hacquinienſes medicamentoſæ?



VT μετεώρων ſic ὑπογείων mira eſt alteratio,continua generatio. Terra ex omnibus mixta elementis triplicem materiam præbet ; ſeipſam multum à qualitatibus perpeſſam, vaporem, exhalationem; quibus ſeiunctim vel promiſcue concreſcentibus quinque τῶν ὀρυκτῶν ſpecies oriuntur ; non accidentariis formis, non ſimplicibus facultatibus instructæ. Terræ, ſucci, lapides, metalla, metallica, quibus nec aſtra,nec planetæ, nec quidquam Solis & Lunæ lumen conferunt;à ſolis elementis emerſæ, quidpiam ἐνεργητικὸν habent quod ab aliis mixtis non licet expetere.



TERRÆ halituum tranſitu,mixtione, aut vapidi exolutione medicamentoſæ fiunt. Succi liquabiles aqueo vapore vel pingui, admixta terreſtri ſubſtantia conflantur. Lapides & quæ non fuſilia in puluerem rediguntur, ex ſicca exhalatione, & ab humido fulgor in gemmis. Metalla ſeptem quorũ nulla cum planetis analogia eſt, generantur è triplicis illius ſubterraneorum materiæ coctę & congelatę ſtricto connexu,ob quem ? an potius ob qualitatum repugnantiam ignis violentiæ non cedant? in fornace liqueſcunt,ſed non forma pereunte diſſoluuntur, & ne quidem aurum minuitur. Omnium miſcella facilis,in ſe inuicem tranſmutatio, rete fumi venatio eſt. Metallica ſponte in fodinis naſcentia,vel factitia, terrea ſunt, multumque immixtum habent igneæ ſubſtantiæ, exſiccant,ſed acria ſunt.emplaſtris & foris efficaciſſima,ſi mordacitas aceto,non igne obtundatur:in vulneribus neruorum adſtringentia vitare,ſubacria propinare conſultum eſt. Caue intus omnia, aurum etiam potabile, præſertimque æruginem, & auripigmentum aduerſus quę non datur alexiterium.



Ποιὸν ὕδωρ & ſimplex,pro varia terræ,& metallicorum conditione,medicamẽtoſas ſortitur vires. Nec putes metalla cum aquis diffluere. Æris ærugine, ferri rubigine,plumbi ceruſſa,bituminis & ſulphuris fuligine,vitriolo,ſalibus,alumine,minio, per ſubterraneos ductus inficiũtur aquæ(auro nullę)ſed modo coctionis,modo halituum participes,multumque dilutæ,ſenſibus indicia mixturæ non præbent,nec tamen imbecilliores. Ferreæ robur conciliant. Nitroſæ ſegnem aluum & vrinas excitant. Aluminoſæ ſiſtunt & exſiccant. Salſæ venenis obſiſtunt & hydrophobię, ſuperflua exedunt. Sulphureæ & bituminoſæ morbis à pituita, neruiſque læſis medentur;veluti thermæ non ſolis æſtu, non mixtione, actu incaleſcentes.



SCATVRIT fons in Hacquinienſi ſolo radiis patens orientalibus, vndiquaque collibus montium obſitus;cuius aquæ è mineris exilientes ferri, vitrioli, & aluminis participes ſunt,cum bituminis exhalatione,qua tota ſubſtantia perfunditur. His ob implicitã materiæ metallicæ naturã mixtioniſque modum vires inſunt ab aliis Spadẽſibus & Forgenſibus aquis diſtinctæ;nec aliter decoctis vel infuſionibus imitari fas eſt. Mixturam arguunt vitrioli,gallæ tinctura;ferri,rubrica,lutum & vaſa ſubcroceo inficiens colore;aluminis,nitor ac potens exſiccatio; exhalationis bituminoſę,tenuitas ſubſtantiæ,celer tranſitus & facilis exolutio,liquor oleoſus verſicolor aquę riuulis defluenti innatans. nihil ſulphureum ineſt,nec quiſpiam plura ſcrutetur niſi metallicorum σύγχυσιν fingere velit.



FACVLTATIBVS eminentibus refrigerante, & exſiccante,prę cæteris hæc aqua pollet, ſed vltra deterget, aperit,& permeat:tùm lotione tùm potu, ſcabiei,tineæ,herpeti,caligantibus oculis, ophthalmiæ,lippitudini medetur. Malignis extrinſecus,nec nõ veſicæ,renum ve vlceribus,eluſis aliis omnibus remediis fœliciter opitulatur. Humoribus aduſtis,obſtructioni (quæ praui ſucci & fluxionum ſcaturigo eſt) & calidæ viſcerum intemperiei vtiliſſimum certe remedium. Melãcholiæ hypochondriacæ, fœdis virginum coloribus, & fluoribus, proficua. Nec vllus per imbellem vim λιθοντριπτικὴν de ſua ſalute diffidat ob calculi magnitudinem,ſed ob concretionis modum. Intus conſultò epotanda;catharſis antecedat,non ſubſequatur, niſi vbi moram fecerit. Fugiant hinc qui crudis in ſtomacho fluctuantibus,& inteſtinis acidum, vel aſſatione nidorulentum ructant. Graue tormẽtum erit quibus acre ſerum,dolori ficæ fluxiones. Quibus denſa cute cerebrum vaporibus offunditur, tenebricoſum quid adferet. In pleuritide ſputum impedit, in acutis omnibus, vbi bilis feruet & materiæ orgaſmus, periculoſus vſus:ſed diuturnis febribus plurimum conferet.

Ergo aquæ Hacquinienſes medicamentoſæ.



Proponebat Lutetiæ ANTONIVS CHARPENTIER Pariſinus Anno M.DC.XXI.